

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Disputationes Chirurgicæ Selectæ**

**Haller, Albrecht von**

**Lausannæ, MDCCLV.**

**VD18 90538943**

CXXI. Dissertatio Chirurgica, De Pede Marcescente Et Indurato.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16605**

CXXI

DISSERTATIO

CHIRURGICA,

DE

PEDE MARCESCENTE

ET INDURATO.

*Quam Preside*

LAURENTIO ROBERG.

*Tuebatur*

ALEXANDER RANIE,

SALBERGENSIS.

Upsalii 21. Junii, anno 1718.

Z z z 8





CCXI

D I S S E R T A T I O

C H I R U R G I C A

F E D E R I C H M A R C H S G E N T E

E T I N D U C T O

L A U R E N T I O R O B E R G

A L E X A N D E R H A N I E

S A L E N T I N E

1718

2

1718





**M**edici externam illam formam & habitum & personam quasi apud imperitos referre, ut histrioni perfacile, ita & aliis vulgo haud arduum; præceptorum autem dogmatica & recta cognitio, & historica iustaque designatio exemplorum ad artem pertinentium minime obvia cuique est. Nam si audire Hippocratem in de lege, libet, insignem & arte & facundia virum; *Quisquis medicinae scientiam sibi vere comparare volet, eum his ducibus voti sui compotem fieri oportet, natura, doctrina, loco studiis apto, institutione à puero, industria & tempore.* Sed de ratione studii medici non hic erit multa dicendi locus. Brevibus indicasse sufficiet, mature fociandam esse theoriam cum praxi, ratiocinia cum observationibus, præcepta cum exemplis. Horum conjugium omnia attrahit prospera, horum divortium multa mala sequuntur.

Est autem singularium inprimis in ægritudinibus casuum examen accuratum eo jam magis necessarium, quo certius liquet, non aliam viam dari, per quam animus veri cupidus extricare sese possit ex incertitudinibus medicorum contradicentium: præcipue posteaquam dictatorius fastus & ratiocinia facunda rem hic utique non absolvunt: & insuper posteaquam ingenia quædam otiosa & prurientia hodie æque ac olim, convellere constituta, certa que incerta reddere tentant, etiam in hac disciplina nostra. Adeoque verum ac robur firmamentum disceptationibus nostris æque ac in phisicis, non aliunde est expectandum, quam ab exploratione experimentalis. Nam artem ipsam experientia primum fecit, *exemplo*, ut inquit ille, *monstrante viam.* Inveniendum enim est, quid natura faciat, quid ferat, non fingendum aut excogitandum. Nam delet dies, Tullio iudice, in de natura deorum, *delet dies opinionum commenta, naturæ iudicia confirmat.*

Posteaquam itaque felici jam fato contingit, ut Valetudinarium Academicæ Upsalensis, hoc est Collegium experimentale practicum, desiderii privatorum quorundam manibusque utcunque pridem tentatum positumque, nunc vero & locum potuit nancisci ubi consisteret, & *Regis optimi* benignitate clementissimam confirmationem [a], non inconveniens fore putavi, si publico aliquali specimine meam probaturus industriam tum patribus Academicis, quorum iudicio adjutus, regio jam per aliquot annos sublevor stipendio, tum magistris iis, quos in arte chirurgica rite addiscenda duces adhuc nactus sum, cum theoricæ hypothesès mihi non deficerent, practicum

[a] *Literis ad Acad. Upsal. datis Londini Scenor. d. 5. Januar. 1717.*



practicum potius casum, vel simpliciter recensendum mihi sumerem, selectum illum utique inter plures quos nuper hic vidimus, tractavimus, habuimus. Præcipue posteaquam eundem & alii non indignum judicarunt, qui in exemplum hujus exercitii nostri practici, silentio exemptus publicæ luci exponeretur. Cui instituto, ut apud benignos faventesque lectores firmamentum aliquod accedat ab consensu celeberrimorum medicorum, qui ad artis medicæ culturam simile quiddam dudum vel desideravere vel instituerunt, eorum itidem de hoc argumento sententias, sed paucas & selectas adducamus, Verum jam casum nostrum medicum, uti constituimus, expediemus.

## §. III.

Contigit exeunte mense Martio anni MDCCXVII, ut venerabilis *Dom. Johannes Fontinus* qui Lisenæ ecclesiæ, tribus ab hac urbe miliaribus distante, comminister præest, medico professori practico literis referret, de muliercula ex affecto pede sinistro ita misere decumbente, ut neque restitui unquam integritati pristinae, nec tamen extingui a suo malo posse videretur, cum cætera utcumque sana esset. Sequenti Aprilis 5to, ægra in urbem allata fuit rurali rheda, suis tecta stragulis & comite matre, eodemque die expensis Nosocomii constitutum illis hospitium, deque victu quotidiano provisum & eleemosynis præterea quorundam, qui spectatum convenerant, recreata fuit. Sequenti die convocati aderamus, ut inquireremus in naturam morbi, ejusque consignaremus historiam, quam post varias propositas quæstiunculas, ægrotantis exceptam verbis, sequentem in modum in pugillaribus nostris consignavimus.

## §. IV.

Margareta Nicolai, in Parochia Lislina nata XXIV jam annam agens, ancillari servitio merebatur apud colonum illius fundi, qui prædio militari Kiallstudio dicto, in augmentum attributus est. Huic ante quatuor septimanas nuperum Juliorum festum præcedentes, nil quidquam tale cogitanti contigit, ut inter domestica negotia obambulans, rigore subito corripereetur circa pedem sinistrum, qui afflari illi, aura quadam frigida videbatur (*som en kall ihl*). circa noctem sequentem febriculam sensit, qualem habere solent qui erysipelate tentantur, quem affectum, frequentem in his regionibus, contracta voce nostri *Rosen* vocant. Rubore suffundebatur erus, & de doloribus conquerebatur universum corpus infestantibus, idque per quatuordecim continuos dies, quibus lecto affixa erat: post enim descendere de novo morbus in pedem sinistrum & in locum priorem videbatur. Ibi hæere dolor, ibi intumescere caro media, nec tamen colliquescere sed refrigerari, sensimque frigus illud au-  
geri



geri cepit : naturalis certe calor ex eo tempore membro non rediit , dein facta sponte sua apostematis apertio fuit in sura , ex qua pus sanguinolentum emanabat per tres septimanas continuas , agra emplastrum , quod illi e proximo nobilis viri prædio transmittelatur , applicante. Remissa post hæc symptomata omnia fuere , pes autem gelidus , insensibilis , durus , nigricans , nil nisi pondus iners erat , & qualis in hunc diem intuentibus apparet ; à carne mortua separabatur viva , distractaque intermedium pollicis latitudinæ , spatium reliquit. Nunc de dolore punctorio in superiore tibix parte & ipso genu , non quidem multum conqueritur , tamen incipientis gangrænx signa non obscura nobis agnoscere licebat. Id omiseram , nullam hunc affectum aegritudinem præcessisse , non intermittentes diurnas febres , non œdematosos pedum tumores , non consuetos alias muliebres morbos , sed utcumque sana & vegeta sibi aliisque visa fuit.

## §. V.

Hicce hunc in modum adnotatis , medico quidem professori , ut in aliud tempus ratiocinatio differretur visum fuit , de occultis causis hujus tam insolentis metamorphoseos , nunc quidem ut quid in præsens agendum suscipiendumque esset , quisque studiosorum medicinæ qui aderam , proferret suam sententiam jubebat. Conclusum fuit , ut emortua cum pede tibia extirparetur , idque quam fieri primum posset , ne cunctatione nostra ad superiora corporis gangræna serperet ; Pauli Æginetæ hic auctoritatem sequentes , qui lib. IV. c. 19. nisi quam celerrime succurreretur ; facile , inquit , affecta pars , quatenus vicina comprehendet , mortis habitum representat , & hominem jugulat : aliis contra miserum hoc auxilium dicentibus , propterea quod summò cum periculo feret ; Itaque satius esse aegrotantem finire mori , quam ipsam occidere. Verum rem non esse desperatam plane , exempla monstrabant aliorum , adeoque & hic monitore Corn. Celso , satius esse anceps auxilium experiri , quam nullum. Cujus & hæc pulcherrima est , lib. VIII. c. ult. sententia : Omnino sectionem esse faciendam , quia nihil interest , an satis tutum præsidium sit , quod inicum est. Qui simul convocatus aderat Job. Ben-zinus Stralsundensis , quem præterlapsis annis Suecicos exercitus , lætis tristibusque expeditionibus secutum , dimissumque jam Upsalia nuper chirurgum urbicum acceperat , in se recipiebat operationem peragendam. Idque sine sumptu ullo , quod & in nosocomii comendationem res hæc omnis susciperetur , & pauperulæ succurrisset , caritatis opus futurum esset. Cujus facilitatis causa prolixas statim viro grates , qui aderam , egimus. Is sequentem diem , qui septimus Aprilis festusque erat , horasque pomeridianas huic rei peragendæ destinabat , quod itidem omnibus placuit. Id solum petebat medicus , ut de loco incisionis antequam disce-

Tom IV.

A a a a

deremus ,





dereimus, conveniremus. Num supra genu instituenda esset extirpatio quærebatur, posteaquam liquida vestigia rotulæ jam infectæ aderant. Sed chirurgus difficultates plurimas recensebat, quæ peragendam supra genu incisionem subsecuturæ erant: confidebat autem sese medicamentis sistere posse, illam, quæ rotulæ infederat putredinem. Cujus adeoque sententiæ & inventori jam & perfectori futuro merito acquievimus.

## §. VI.

Jamque magna circumstantium pars discesserat, cum animum ægræ obfirmare medicus cœpit, ut ne extimesceret, quæ suscepturus in ejus salutem chirurgus esset. Sed facile id erat persuadere, jam satis persuasæ, quæque usque adeo horum nihil quidquam expavescebat, ut etiam urgeret; admonita itaque fuit, ut sacra cæna per div. verbi ministrum eodem adhuc die refecta, spem omnem in servatore Christo reponeret: nos interim officinam pharmaceuticam adimus, ut de iis quæ ex usu futura erant, dispiceremus. Dum autem in hunc modum de ægra nostra deliberamus, delineaverat speciem hujus insolentis tibix, qui simul adstabat, Academicus pictor *Dn. Joh. Cloppert Stockholmensis*, in cærulea charta, cretaque nigra illa, quam pignitum appellat in sua graphice Schefferus §. 48. eam adumbrationem sed inversam jam retinuimus, ærique incidi curavimus, ut hæc paulo ornatius prodirent & quæ verbis frustra describuntur, hauriret intuitu uro benevolus lector. *A. rotula est, superne, qua cutem haud leviter erosa. B. gangranosa erosio profundior, decedente per contactum etiam levem epidermide in quibusdam locis non aliter, quam à pyro cocto membrana deglubitur. C. caro cruenta & sede tuberosa. D. dehiscencia vivam inter carnem & demortuam induratumque, partes ita discriminans, ut dies ab altera parte interluceret. E. tibia os siccum & e luteo pallidum. F. fibula itidem. G. pes colore e fusco nigricans, qualis terre umbria dicta esse solet, contactu aridus, tractatu durus, in suis articulis rigidus, & immobilis plane, denique quem muniam diceret, qualem in apothecis suis ostendere seplasiarii solent, sine sensu ullo, sine vita, sine calore, appensi ponderis instar gravativo dolore, sed in parte sana, agram afficiens, ubi movendum quam minimum crux erat.*

## §. VII.

Die septimo Aprilis peracta pedis extirpatio fuit, qui aderamus, primum chirurgi apparatus omnem lustravimus: nam intueri eundem nobis, manibusque versare licuit, hunc fructum primum istius diei collegimus. Super mensa ita erant illa omnia exposita, ut ne aspici ab ægra possent. Nescio enim quomodo & nobis insuetis huic spectaculo, ferres illa ordinata ferramentorum, quamquam renitentium, horrorem incutiebat.



bat. Certe plura erant, quam quibus indigere nosmet in ipso postea tumultu vidimus. Nobis singula à medico demonstrabantur, collata cum iis quæ habet *Solingen* in de Operationib. Cap. II. p. 4. & *le Clerc* *Lap-pareil* tab. 45. & 56. Non hic omnia repetam: tæniæ plures, tenues sed robustas, incisorium cultrum e cista legionaria Ulpendensium desumptum, curviorem paulo quam Solingo placet; separatoria duo (*Scheide-messer*), incisorium forcipem robustum; ferram imprimis, qualem probant nostri, denticulis modicis & recta protensis, vid. Soling. pag. 381. incurvas acus instructas filo, compressas diversas & alia: nam cauteria cum foculo extra cameram erant. Nodulos imprimis stupeos, olivarum baccarum magnitudine chirurgus fecerat, quibus ad inhibendam sanguinis ex arteriis ejaculationem confidebat. Quamquam & aderant, quæ noviter chirurgico nostratum armamentario accessere tenaculæ illæ *Puls-aderzangen* dictæ *Adernübber*, & machinula ad singulatim determinateque comprimenda in quibuscunque corporis membris arteriarum vulnera *Arterialschraube*, *Aderklamma*, *Pulsspanne*.

Spectatoribus itaque modice remotis, per interposita in quadri figuram scamna, ægram e lectulo sublatam in fellam reponimus. Unus e ministris a tergo aderat. Alter inclinato genu ægrum pedem sustentabat manu, dum ab interno extensi cruris latere operator semet locabat. Is medicum respiciens, brevibus signis denuo incisionis locum constituabat. Primum compressas dictas super genu & subtus flexuram ejus, ubi sanguinea vasa excurrunt, apponebat; super has exiles ferulas tres (*ou Carton*) hisque fasciam, huic vinculum constrictorium forte, quod *torcular* dicunt, nostri *Vredbandet*, cum imposito bacillo *Le tourniquet*, ad contorquendum apto. Deinde inferiorem ordiebatur ligaturam illam quam stupefactivam vocant, anfulis suis instructam, *mit schleifen*, *med. Lychor*. Duorum digitorum latitudine altius illa injiciebatur, quam ubi linea erat, quam incidendo sequendam sibi in animo constituerat, ne si forte demissius applicaretur, vel dilaberetur, facto vulnere, vel impediret, quo minus officia discissorum vasorum apte retruderentur. Hujus itaque ligaturæ anfas utrimque apprehensas, manu firmiter qui proximus erat minister trahebat, subjectamque simul cutem.

## §. VIII.

Sed jam operator ictum inflixerat, qui inclinato genu adstabat, exterius incipiendo, ita porro pergens, ut ultimo magna illa vasa vulnerarentur. Tradebat ex spectatoribus uni cultrum, simulque separatorium adporrectum sumens, interjectam inter duo focilia carnem & periostium radebat, viam ferræ suæ parans, quam erectus jam, nec cunctanter capiens ad os utrumque applicuerat, uno alteroque lentiore tractu ab initio peracto, ut ferra apprehenderet, tum festinantius pergens, facile minus

A a a 2

primum



primum post & majus dissectum fuit, nulla, sic ut apparebat, relicta festuca. Exstirpata tibia reposita extra conspectum ægræ fuit, & de sanguine sistendo proxima jam erat sollicitudo. Ante præmonuerat chirurgus sese quidem aduetum in castris, sanguinem per ignita ferramenta restringere, quod illa & paratu facilia & applicatu essent, & præterea à doctoribus nostris convenientia in gangræna serpente videantur: se tamen id hac vice omisurum, ne terrore mulierculam conficeret. Quamquam illa animo longe firmiore quam nos putaveramus, singula perferebat, modico solum ejulatu & arcto ejus, qui adstabat, amplexu & membrorum contremiscentia, angorem suum & cruciatus testabatur. Relaxato itaque torculari, orificiis arteriæ nodulos illos, (*boutons de coton*) de quibus ante habuimus ovi albumine & cupreo vitriolo infectos applicabat, ut hac ratione non modo retardaretur coagulatus cruor, sed & retusa plicataque arteriarum extrema sibi ipsis vias præcluderent. Hoc principale erat in deligatione tota. Reliqua mitto, non tamen minus solerter peragenda, osseo margini appositum siccum carptum, tum compressas stupeas duas minores & unam magnam liquore stiptico nostris usitato persusam, (*grand tourteau fait de coton, avec des poudres astringentes*) glutinantis emplastri, tæniolis, ad cutis carnisque extrema adducenda, transversim injectas, his super inducta vesica bubula, tum prædicta in situ suo detinenda emplastrum magnum in crucis formam sectum, *en croix de Malthe*, tum compressa una aut altera, tandem fasciatio cruciata, *la capeline*. Sic ægra in lectum interea stratum relata & composita fuit. Chirurgus ob rem rite feliciterque peractam grates actæ laudesque dictæ sunt. Tum distributæ, inter medicinæ studiosos qui aderamus vices, quas quisque nostrum susciperet in peragendis per prima saltem nycthemera clinicis vigilis, ut medico & chirurgo, si quid præter expectationem contingeret indicaret. Sauciata commendata quies est, & ut sumeret per intervalla de mixtura quadam medica, a medico iussa, ad primos hosce in animo & corpore motus sopiendos, & si quid ultra desideraretur, per matrem indicaret. Nos alio discessimus, tum ut illa quæ videramus consignaremus, tum ut interiora detruncatæ tibie rimaremur.

## §. I X.

Sed non hic a me Ben. Lector expectet, ut qua cepi prolixitate, reliquum quod habeo diarium hic pertexam, actaque commemorem. Utut enim non injucundum forte esset, horum meminisse, quæ tum nobis acciderunt, vel visu nova vel in experiendo utilia & scitu proficua non tamen & aliis statim suave est eorum recensionem, audire. Paucis modo referam, bis contigisse, undecim illarum septimanarum spatio, quo lectulo suo affixa ægra fuit, ut hæmorrhagia superveniret, & posteriorem tum præcise observavimus, cum mulieri lunaris repurgationis tempus



pus aderat : febriles insultus nulli fuere : credo quod parciori manu porrigerentur alimenta , quam ut illa sanguinem accenderent. Erosio rotulae superficiaria utut per intervalla recrudescens , tamen ex Cyprii victrioli contactu repetito sufflaminata fuit. Sed extremitates ossæ , nudæ jam utraque superficiem novæ carnis paululum prominentes , forfice imminuendæ nobis erant. Cumque ægra e longo decubitu ulcerosum ardorem & intertriginem in dorsi inferioribus musculis concepisset , mixtura , e camphorato & salis ammoniaci spiritu fotæ partes ad se redierunt. Sed cutis imprimis , lente succrescentis nos sæpiuscule tædebat , cum caro interim luxuriare videbatur : tandem tamen sese omnia recte habere ceperunt. Mulieri de machina lignea , cui mutilatum inniteretur crus provisum fuit ; acceptisque quibusdam vestimentis & com meatulo instructa & nummulis , læta discessit die 21 Junii. Rediit itaque ad suos , revocata quasi ab inferis , posteaquam pedem , quem unum in cymba charontis , ut est in proverbio , habuerat , valetudinarii museo reliquisset : qui hodie dum quod sæpius mirati sumus , eadem qua forma fuerat , mixtæ instar , aridus incorruptusque conspicitur.

## §. X.

Unum fere omiseram phænomenon , cujus nos omnes non semel testes fuimus. Interrogata de dolore ægra , quem in tibiæ trunco perciperet , sæpiuscule nobis retulit , non sibi aliter videri , dum per intervalla dolore percelleretur , quam modo pollicem pedis premi , modo minorem digitum pati , modo pedem totum , non obscure , sed quam evidentiissime excruciaci. Idque eo ipso momento quo truncum membrum intueretur , & pedo se destitui optime sciret ; nobis quidem , quomodo id contingere posset , non leviter disceptantibus. Equidem novi , philosophum egregium *Renatum Cartesium* hoc experimentum in eum finem adduxisse , ut evinceret , genuinum illum veri sensum , intellectui soli , non evidentia sensuum inesse , quod tamen posteaquam ut paradoxon a multis exagitatam fuit , nos auctori suo relinquamus , neque hic contra sensuales philosophos urgemus.

## §. XI.

Ad alterum , quod promisi , me converto , ut testimonia quædam adducam , quamquam in re non ambigua , eorum qui experimenta , cum ratione instituta ad perfectionem medici studii requirunt , non tam in medicis in praxi jam constitutis , quibus ad eundem bis offendere lapidem minime licet , sed in tironibus ; qui nisi mature in rectam deducti viam fuerint , tota , quod dici solet , janua , ut aberrant necesse est. Re-



centiores autem præmittam, sicut in sententiis dicendis a junioribus initium fieri decet.

*Van Horne* itaque Belga & in ea Academia \* Professor, cujus exemplo & experimento ipso constitit, cum aliis bonis literis etiam apollinarem artem posse aliunde deduci, & per coloniam quasi in nova sede collocari, in sua *Microtechnie* pag. 255. sequentia habet:

Reipsa unus quisque experitur, quantopere animum nostrum afficiant singulares casus, in quibus affectus ipsi longe aliter nobis occurrunt, quam ab auctoribus scripto depinguntur (ut facile ei, qui ex libro tantum sapit, misere aqua hæreat) eorumque curationes, remediorum successus de die in diem institutorum, symptomata supervenientia ac tandem eventus sive prosperi sive adversi fuerint, fideliter relati: quibus si accedat post mortem ægri, accuratum examen partis affectæ, quod utinam liceat medico per defunctorum propinquos, a quibus vana superstitione prohibentur sepiissime, Næ! jam omnis erit expleta pagina.

## §. XII.

Huic *Georgium Baglivum* jungo Italum, adeoque ex ea gente, quæ bonas literas non advenas, sed indigenas per tot jam secula tenuit, eaque fama apud ultra montanos & transmarinos fuit, ut multis medicis ad commendationem suffecerit vel studuisse in iis locis. Hic in Romano Archilyceo Profess. Medicus, sequentia habet in de praxi medica ad priscam observandi rationem revocanda, Lib. 2. c. 4. de Collegiis promovendæ praxeos gratia erigendis. Tale collegium in duo veluti membra distinguendum est, alterum legendis libris, morborum observationes continentibus incumberet: alterum contra novas quotidie institueret & annotaret primum literatum dicamus, alterum practicum p. 175. Cuique sodali unus duntaxat morbus toto suæ vitæ spatio tractandus committatur. p. 176. Semel in mense convenire sodales debent, examinandasque proponere observationes antea factas. Cap. 7. p. 197. Desideratur hortatoria ad medicos in describenda historia naturali suarum regionum, id est de temperie incolarum, morbis illorum endemiis, methodo medendi eisdem potissimum accommodata, medicamentis indigenis & reliquis hujusmodi patriæ suæ peculiaribus observatis. idem p. 199. Hortatoria ad medicos, in inveniendis novis modis ad sanandos morbos vulgo dictos incurabiles & p. 183. Morbos complures sane fateor non manifestari posse nisi cadaver secetur: cadavera autem obiter secare, nec anteceder præscire morbi historiam ad ætiologiam atque pathologiam illustrandam ne minimum conducit. Mitto plurima.

## §. XIII.

\* *Lugdunum Bataavorum* in Academiam erectum anno 1574. vid. *Conring. antiq. acad.* p. 48.





## §. XIII.

Sequitur cui tertium loam hic assigno. *Joh. Major* Silesius, Kilonensis Acad. Professor. Ejus autem de experimentalī collegio medico instituendo dissertatio, non nisi ut indicetur opus est: nam cum totam hic inferere nequeam, quæ tota tamen ut legatur meretur, utique nec particulam decerpam, ne illam quidem, quæ de impedimentis hujus instituti salutaris agit. Extat inter alia Clariss. Viri opuscula in 4to. edita Lipsiæ. Sed jam forte longius à primo meo instituto divertor. Itaque claudat testium hunc ordinem qui & claudet dissertationem hanc meam *Hippocratis* *Coi* locus in de Arte. Non nulli, inquit, turpiter in sectandis artibus artificium suum collocant, neque id quod facere se credunt, meo quidem judicio, obtinent, sed suæ scientiæ ostentationem faciunt. At eorum aliquid quæ non dum inventa sunt invenire, quodve invenisse quam non invenisse præstiterit, similiterque imperfecta ad finem deducere, id mihi videtur illius esse munus, qui intelligens existimari expetit.





Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



DISSER-





CXXII

DISSERTATIO  
MEDICO-CHIRURGICA,  
DE  
OSSIBUS TUBEROSIS.

*Quam Praeside*

LAURENTIO ROBERG,

*Tuebatur*

ERICUS VICTORIN,

V-GOTHUS.

Upsalæ die 1. Junii anno 1717

Tom. IV.

B b 5 5

